

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

quid Clerici nomen, & reliqua minorum ordinum vocabula significet. Quid turpius, quam quod penitus Analphabeti ac interdum flagitiosi (qui ut legum civilium censuras ac penas eludant, sese impudentissime ingerunt) in maximam ecclesiastici ordinis ignominiam, sacris intant. Qua de re nemo post hac ordinibus hisce insigniendus est, nisi quem & vita commendet, & literarum, & ratio sit pro ratione suscipiendi ordinis sufficientis ac recte synceræque voluntatis. Qui enim in clerum alleguntur, rem profitentur minime ridiculam, nempe si peculiariter in sortem domini ascitos, quibus posthac omnia terrena sordeant, ac solus dominus fors ac pars hereditatis futurus sit. Cuius quoque (priusquam ordinentur) diligenter admoneri debent.

Hiero. ad Nepo.

Ab initiandis nihil exigendum. Cap. XXVIII.

VT autem ecclesiastici ordines, summa synceritate, omni quaestus suspicionem, omnisque mali specie quam longissime submota, conferantur, nolimus ut ab initiatis quicquam, vel sigilli nomine a vicariis nostris in pontificalibus exigatur, sed tantum scribis earum literarum (quae formata appellantur) vnus albus soluat. Nam eos sumptus, quos antehac Vicarius noster in diocesi Colonienli choralium causa facere consuevit, nos deinceps pendemus. Non dubitamus interim Suffraganeos nostros suis Vicariis in pontificalibus ita prouisuros, ne quis iustam querendi causam inueniat.

Literæ dimissoriae nulli temere concedendæ.

Cap. XXIX.

Prohibemus quoque, ne Officiales nostri literas dimissorias, quæ vulgo licentiatória ordinandi vocantur, alicui temere concedant. Illorum enim prætextu, qui suæ ruditis, & inscitiae sibi conscij sunt, nostrorum Vicariorum in pontificalibus disquisitionem subterfugiunt, ac alio demigrant, vbi nullus canonicæ traditionis respectus habetur.

Tituli ordinandorum diligenter discutiendi.

Cap. XXX.

Tituli quoque ordinandorum discutiantur. Plerique enim inuenti sunt, qui fictis & emendicatis titulis ad sacerdotij dignitatem euecti, eandem turpiter prostituere postea coacti sunt, vendibiles quandocunque dolosi spes refusserit nummi. Quorum numerum (quod nihil fere aliud quam numerus fuit) imminui plurimum referret. Inter hos siquidem est, qui in plateis mendicat infelix clericus, & seruili operi mancipatus, publicam deposcit eleemosynam, Qui eo magis a cunctis despicitur, quam miser ac desolatus iuste putatur ad hanc ignominiam deuenisse. Inter hos est qui in diuitum ac nobilium domibus scurram aut mimum aut morionem agit, quem ab officio retrahendum Carthaginense Concilium decernit.

Hierony. ad Ruffi. c. Diaco. con. 93. dist.

Pere